

N. 1328/93 CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA (DE SEMINARII ATQUE STUDIORUM INSTITUTIS)

DECRETUM

Congregatio de Institutione Catholica (de Seminariis atque Studiorum Institutis), de studiis academicis ecclesiasticis valde sollicita, opus in hac re ab Exc.mo Episcopo Opoliensi instauratum attente consideravit, praesertim intuitu Universitatis Civilis a Gubernio Polonicae Rei Publicae in eadem Civitate ex lege erectae. Quae cum ita sint, idem Exc.mus Episcopus hanc Congregationem adivit, exposcens ut in Civitate Opoliensi Facultas Sacrae Theologiae erigeretur et quidem ut pars integralis Universitatis Civilis Opoliensis. Haec Congregatio de Institutione Catholica, re undique perpensa, cum compererit omnia ad hoc necessaria esse comparata atque academicis rationibus esse aptata, praesertim quae ad curriculum studiorum ac corpus Docentium attinent; ratione habita Conferentiae Episcopalis Polonicae favorabilis sententiae; petitionem eiusdem Exc.mi Episcopi libenter excipiens, ad normam art. 61 Constitutionis Apostolicae "Sapientia Christiana".

FACULTATEM SACRAE THEOLOGIAE OPOLIENSEM pro munere hoc Decreto erigit erectamque declarat, eidem potestate academicos gradus conferendi iuxta vigentem academicam Ecclesiae legem; servatis Statutis eiusdem Facultatis ab hac Congregatione approbandis; ceteris servatis de iure servandis, praesertim quae in Constitutione Apostolica "Sapientia Christiana" atque annexis Ordinationibus ceterisque Apostolicae Sedis documentis de Studiorum Universitatibus et Facultatibus Ecclesiasticis adimplenda praescribuntur. Insuper haec Congregatio Exc.mum Episcopum Opoliensem "pro tempore"

MAGNUM CANCELLARIUM ipsius Facultatis nominat atque renuntiat, omnibus eidem agnitis tributisque iuribus et officiis huiusmodi muneri inhaerentibus; eidemque mandans ut Facultatem promoveat ac tutetur; ceteris servatis de iure servandis; contrariis quibuslibet minime obstantibus. Datum Romae, ex aedibus eiusdem Congregationis, die XII mensis Septembris, a.D. MCMXCIV.

PRAEFECTUS

+ Pius Card. Laghi

A SECRETIS

+ Iosephus Saraiva Martin